





1026





1686.

1. Berger, Joh. Henr.: De levis notae macula.
2. Berger, Joh. Henr.: Necessitatem curatoris in actis mulierum publice exhibet . . .
3. Brendel, Joh. Kasp.: Usumfructum rei fugibilis . . . publico . . . examini sistit.
4. Brendel, Joh. Kasp.: Sufficiens testamenti querelam . . . publico examini sistit.
5. Brendel, Joh. Kasp.: De legitimatione per subsequens matrimonium.
6. Fellece, Nath.: Sententiam de stabilito imperio per coactionem conscientiarum in negatio religionis . . . ulteriori~~is~~ discussioni sistit.
7. <sup>a. b.</sup> Heber, Georg Mich.: De jure ignororum
8. Leiser, Wilh.: De jure mutui
9. <sup>a. b.</sup> Lyser, Wilh.: In actione negatoria utrum actor probare debeat, an reus? 2 Exempt.
10. <sup>a. b.</sup> Leiser, Wilh.: De contractibus, qui in scriptis fiunt. ad l. contractus 17 l. de fide instrum.

11. Ludovicus, Joh. Georg : Dissertationis academicae, quibus  
 subjectum legis naturalis vindicatur
12. Naevis, Joh. Carolus : De potestate principis circa  
 jurisdictionem et disciplinam ecclesiasticam.
13. Wulffhardt, Li. Fridor : Quid homini naturaliter  
 pro vita liceat?
14. Ziegler, Karpus : De privilegiis militum.
15. Ziegler, Karpus : De rebus pro derelictis  
 habitis
- 16<sup>a. b. c.</sup> = Ziegler, Karpus : De jure exigendi collectas  
 et dationem filiarum illustrium. 3 Exempl.
17. Ziegra, Christianus Sam : De monasteriis pontifi-  
 ciorum et oneribus tempore belli Turcici non  
 penitus exemptis
- 1687.
1. Berger, Jo. Henricus : Fontes adjectivorum  
 qualitatum . . .
2. Berger, Jo. Henricus : Renunciationem jurium

1687

3. Berger, Jo. Henricus: De jure rerum pertinentium.

4. Berger, Joh. Henricus: De privilegiis aegrotorum.

5. Brendel, Joh. Rasper: Privilegium dotis in con-  
cursu creditorum.

6. Brendel, Joh. Rasper: Jura fidjussionis.

6. Graun

7. Heber, Georg Mich: De jure eligendi.

8. Kirchmayer, Georg Rosp: Latinitas legalis praeter

8. Kirchmayer, Georg Rosp: Latinitas legalis praeter

9. Leiser, Wilhelm: De prorogatione jurisdictionis

10. Leiser, Wilhelm: De crimine caesae majestatis

10. Leiser, Wilhelm: De crimine caesae majestatis

10. Leiser, Wilhelm: De reservatione juris competentis.

11. Roeser, Joh. Georg: Nominem ad se conservandum

whlyari. -- Demonstrare conabitur.

11. Schöpflein, Herr Samuel: Propositiones historico-geo-

graphicas. -- Ediderit atque defendet.

12. Thile, Joh: De usu et abusu potestatis calidii cum

herba thee

13. Weickman, Joach: Promissionem ab Turpe causam

non esse obligatoriam. -- defendet

1687

14. Wendius, Joach. Formicell: Nuptialium apud Veneres  
solemnitates . . . proponunt.

15<sup>a-6</sup> = Ziegler, Karpos: De praedictis censiticis  
Zusatzes 2 Exempl.

16. Ziegler, Karpos: De pubertate proximis  
comunque juribus.

17. Ziegler, Karpos: De jure successionum et  
heredum.

13170.

1026

34

1686

4

EXERCITATIONE JURIDICA  
**INOFFICIOSI**  
 TESTAMENTI QUE-  
 RELAM,

AUTORITATE

Magnifici Jctorum Ordinis

Wittenbergensis,

PRÆSIDE,

Dn. JOH. CASPARO Brendel/

Philos. & J. U. D.

*publico examini sistit*

JOHANNES KEJN/

Bist. Transylv.

*In Auditorio Jctorum*

*addiem Febr.*

Anno MDCLXXVI.

WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typ.

34.



17

EXERCITATIONE JURIDICA  
IN  
TESTAMENTO  
RELIAM

MAGNIFICI SCOTUM ORDINIS  
WITTENBERGENSIS

DR. JOH. CASPARO BRUNNEN  
PHIL. & J. U. D.


IOHANNES RIGOLDI

ANNO MDCCLXXVI

WITTENBERGA  
THE JOHANNIS BRUNNEN

17





I. N. J.

**S**icut multa Jus Naturale definiuit;  
ita non pauca indefinita reliquit,  
moribus deinceps aut Legibus ci-  
uilibus formanda. Huc referi-  
mus testandi facultatem. Sine  
peccato omitti posse testamenti scripturam, &  
neminem, ne quidem in foro conscientie, ad-  
strictum esse ad testamentum condendum, pa-  
tet ex defectu mandati. Nullam legem, nul-  
lum mandatum habemus, necessitatem nobis  
testandi imponens. Liberum proinde dici-  
mus, & ex genere permissorum esse, testamen-  
tum scribere vel omittere. Jure olim testan-  
di & libertate destituebantur Athenienses; que  
tamen ipsis à Solone, non extantibus liberis, est  
concessa, testis est Plut. in Vit. Solonis p. m. 90.  
Occasionem hæc Solonis Leges decemviris dede-  
runt, ut liberrimam ac illimitatam curvis te-

standi præberent potestatem. Ita enim L. 12.  
Tbb. constitutum erat: Uti quilibet super fami-  
lia sua legasset, ita jus esto. Vid. L. 120. ff. de Verb.  
Sign. Ista verò licentia insigniter postmodum  
abusi sunt testatores, ut omnibus Satyricis ri-  
dendi materiam præbuerit. Tangit hoc etiam  
Ammian. Marcell. lib. 14. cap. 19. Credi non  
potest, inquit, qua obsequiorum diversitate  
coluntur homines sine liberis Romæ. Sed soli-  
dior & curiosa Legumlatorum hic non defuit  
assiduitas. Idcirco per L. Furiam, Voconiam,  
Falcidiam, & postea Constitutiones Imperato-  
rum limitata fuit ista testandi licentia. Compe-  
tit enim Principi, vel qui ejus est loco, Imperium  
eminens in bona Civium, vi cuius de illis dispo-  
nere potest, in salutem Reipubl. Conf. Jctus  
Magnificus & Consummatissimus Dn. V Vilhel-  
mus Lyserus, Antecessor hujus Acad. longè cele-  
berrimus in Tractatu, quem inscribit: Pro Im-  
perio contra Dominium eminens. Gravissima  
equidem vox est Imperatoris Constantini in l. 1.  
C. de SS. Eccles. Nihil esse, quod hominibus magis  
debeat, quam ut suprema cuiusq; voluntatis,  
post-

1026  
postquam jam aliud velle non potest, liber sit  
stylus, & liberum, quod iterum non redit, arbi-  
trium. Limitamus tamē, modo illa libertas vin-  
cula Naturæ non dissolvat, & Reipubl. noxia sit.  
Nam si liber esset stylus, absq; observatione so-  
lennium, tum etiam quævis formula admitteren-  
da fuisset. At quis nos deinde certos reddet de  
ultima hujus vel illius voluntate? Si absolutè  
licitum esset, quod non redit arbitrium, tunc e-  
tiam permissum parentibus, liberos suos præ-  
terire in testamento, quod tamen iniquum;  
cū naturalis ratio quasi lex quedam tacita  
liberis parentum hereditatem addicat l. 7. ff.  
de bonis damnatorum. Nec reticet hanc ini-  
quitatem Justinianus in Pr. J. de Inoff. Test.  
Quia plerumque parentes sine causa liberos  
exheredant, vel omittunt, inductum est, ut de  
inofficioso testamento agere possint liberi.  
Dignam ea ratione in presentiarum materiam  
ulteriori judicavimus opera, de qua verela inof-  
ficiosi tractantem. Sed antequam ipsi nos im-  
miscemus proposito, æternum Deum venera-  
mur, velit hisce nostris meditationibus ex alto

*benedicere, easque in sui Nominis gloriam &  
Reipubl. emolumentum clementer dirigere.*

§. 1.

Etymologiam terminorum in Rubr. Disputationis  
occurrentium, cum facilis sit, prolixè hic non morabimur.  
Testamentum ex eo appellatur, quod testatio mentis sit  
*Pr. J. de Testam.* Viderint Grammatici num recte. Alii  
forte melius testamentum à testatione derivant. Inoffi-  
ciosum compositam esse vocem, vel latinæ lingvæ non  
ignotum tyronibus. Derivatur enim à præpositione in &  
officiosus, quod est à vocabulo officium; hoc vero dicitur  
ab efficiendo vel officiendo, scilicet efficiendo id, quod  
unusquisque efficere debet, ut nulli officiat. Calvinus in  
*Lexico Jurid. p. m. 647.* Cæterum vocabulum officii va-  
rios habet significatus. Aliquando enim significat fun-  
ctionem aliquam, sive publicum munus. Nonnunquam  
Virtutem, uti patet ex inscriptione Cic. in suis Officiis.  
Interdum relationem personæ ad certi operis necessariam  
effectualem. Quandoque id, quod quis facit non ex de-  
bito, sed ex libero studio gratificandi, & bene merendi;  
Denique debitum, quod naturaliter cuilibet incumbit,  
adeò, ut, si contra illud agat, graviter peccet. Quæ ultima  
acceptio ab instituto nostro aliena non videtur. Plures  
& rariores forte invenire licet apud Lexicographos.

§. 2.

Vocabulum querelæ alias accipitur pro imploratione  
Magistratus, quæ fit eo in casu, quo actio introducta non  
est, uti adhibetur in *l. 2. ff. De his, qui sui, vel alien. jur. sunt.*  
*Addatur Calv. in Lex. Jur. fol. 783.* Sed frequentius de-  
notat

1026  
notat illam querelam, qua Magistratus officium implora-  
tur, in casu, quo actio introducta est, & ita etiam dotis &  
donationis inofficiosa causa movetur. Hic verò sumitur  
querela, quatenus inofficiosi testamenti causa instituitur.

§. 3.

Inofficiosum testamentum, ut ad rem propius acce-  
damus, non accipitur h. l. generaliter, pro eo testamento,  
in quo contra officium, quod præter Parentes, liberos  
atque fratres, cæteris cognatis aliisque de se optime  
merentibus debebat, illis nihil relinqvendo, egit te-  
stator; sed sensu speciali, quo id tantummodo testamen-  
tum inofficiosum dicitur, ubi in liberos parentes atque  
fratres, turpi instituto herede, neglectum est officium,  
vel exheredando vel prætereundo. Qui enim in talis-  
modi personas inofficiosus est, in semetipsum quodam-  
modo inhumanitatem & sævitiam exercere videtur.  
Hinc est, quòd tantum istis personis concessa sit facultas  
querelam coram Judicio centumvirorum intentandi.  
Proponebatur enim olim hæc inofficiosi querela in Judi-  
cio centumvirali, cui præerat Prætor, & inter alia etiam de  
hereditatibus, quacunqve ex causa peterentur, cognosce-  
bant, ut patet ex *l. 13. & 15. ff. b. t. Conf. Jacob. Revard. in  
Tract. pro Tribunal. cap. 20.*

§. 4.

Remotâ hæctenus errorum procreatrice homonymiâ,  
propositi jam præmendâ via, & ad ipsam progrediendum  
est definitionem, quæ à variis variè proponitur. Nos descri-  
bimus querelam, quod sit actio realis universalis, quæ qui in-  
digne exheredati aut præteriti sunt, testamentum rescindi  
postulant, tanquam factum contra officium Pietatis, & si-  
mul

mul hereditatem sibi ab intestato debitam vindicant. Actio disertè vocatur inofficiosi querela in *l. 12. §. ult. & leg. 15. §. 2. ff. h. t.* Quod autem realis & universalis sit, apparet ex *l. 17. ff. eod. junct. l. 1. ff. de rei vind.* Accommodatur enim huic querelæ nomen rei vindicationis, quod nota est actionis realis §. 15. *J. de Act.* Neque ratio deest, cum detur ex Jure in re, nempe hereditate, quam speciem esse Juris in re, hac vice, ex communiore Dd. sententia, supponimus. Actio universalis dicitur inofficiosi querela tam ratione objecti, *Arg. l. 62. de Reg. Jur.* quam Jure agentis *l. 10. ff. de hered. pet.*

§. 5.

Exheredati & præteriti conjunguntur in definitione proposita, ut & *Pr. J. b. t.*; Cum non solum exheredatis, sed & præteritis de inofficioso agere liceat. Illud enim ad parentes omnes, & proprie ad patrem avumque paternum, hoc vero ad matrem, avumque maternum pertinet, quippe quorum præteritio vim exheredationis habet, licet non sit ipsa exhereditatio §. ult. *J. de exheredat. liberorum.* Verba ultima definitionis: *hereditatem sibi ab intestato debitam vindicant*, hoc indicare videntur, quod querelâ inofficiosi non solum rescindatur testamentum, sed petatur simul hereditas. Fallunt itaque & falluntur, qui duo hic Judicia fingunt, existimantes, querelam remedium esse ab actione separatum, eamque viam præparare petitioni hereditatis; seu, ut alii loquuntur, implorationem solum esse officii Judicis, ut rescindatur testamentum, & ita demum hereditas vindicetur. Unum hic est Judicium, unus libellus, una litis contestatio, & una sententia desideratur. Nempe Querela est ipsa actio, sive petitio hereditatis,

1020  
ditatis, per quam sic impugnatur testamentum, ut simul vindicetur hereditas, l. 8. §. 8. l. 21. §. 2. l. 27. §. 3. ff. b. t. l. 3. C. de Petit. hered. Conf. Vinnius Selectarum quest. cap. 19. quest. 1. Ungebauer Exercit. 9. quest. 1.

§. 6.

De origine querelæ inofficiosi, & quo Jure illa introducta sit, disputant Dd. mirum in modum. Infeliciter autem mihi progredi videtur Cujac. lib. 2. cap. 3. §. 21. Obs. 8. qui propter inscriptionem, l. 4. ff. b. t. ex Lege Glicia querelam inofficiosi inductam esse statuit. Nam argumenta à Rubricis desumpta fallunt: Variat quoque hæc inscriptio, imò in Pand. florent. non extat. Neque subscribere possum Bacchovio ad Treutl. Vol. 1. Disput. 13. thes. 1. tit. C. Quia Prætor hereditatem nec dare, nec adimere potest Pr. J. de bonorum Poss. Vs. quos autem & c. Adimi verò hereditatem per querelam inofficiosi, patet ex l. 31. ff. de vulg. & pupill. substitut. Sed nec illud admiserim, ut constitutionibus Principum, vel alia parte Juris Civilis stricte sic dicti orta sit inofficiosi querela. Cùm hæc sententia nulla lege probari possit. Erubescimus autem loqui sine lege Novell. 18. cap. 5. Contrarium quoque facile probatur ex l. 8. in Pr. ff. de bonorum Poss. contra Tab.

§. 7.

Cùm itaque Jure scripto inofficiosi querela introducta non sit, sua sponte sequitur, eam moribus & Jure consuetudinario primùm invaluisse. Siquidem plures Juris Romani species non reperiuntur l. 7. ff. de Just. & Jure. Cœperunt etenim initio homines sine Jure certo queri de inofficiosis testamentis cognatorum. Qua querela à Judicibus admissa, cœperunt etiam testamenta rescindi.

B

Quod

Quod, cum saepius factum, abiit paulatim in consuetudinem, *Add. Valer. Maxim. lib. 7. cap. 7.* Sententiam nostram confirmat *l. 5. Pr. l. 24. ff. de querel. inoffic.* Neque quicquam officit quod in *pr. Inst. b. t.* dicatur: *Inductum est, ut de inofficioso testamento agere possint.* Non enim sequitur, querela est inducta, ergo moribus non est adscribenda. Quia id quoque inductum dicitur, quod est ex moribus & Jure consuetudinario, *l. 32. princip. ff. de legibus.* Sed quamquam haec querela moribus introducta sit, diffitendum tamen non est, eam deinceps legibus & constitutionibus confirmatam, & ad fratres quoque extensam esse, uti constat ex *t. t. ff. & C. de inoffic. Test. Conf. Hahn. ad Wesenb. eodem tit. num. 2.*

§. 8.

Progredimur ad subjectum activum, sive eos, quibus competat inofficiosi querela. Et datur omnibus iis, quibus contra Pietatis officium injuria, non tamen quavis, sed gravior testamento illata videri possit. Huc pertinent, in linea recta descendente, liberi, cujuscunque sexus inique exheredati à patre, aut præteriti à matre §. 1. *J. de inoffic. Testam.* Liberi enim vivis quoque parentibus rerum paternarum quodammodo domini censentur §. 2. *J. de hered. qualit. & diff. & filius cum patre una eademque persona existimatur l. ult. C. de Impub. & aliis substit.* Jam quorumcunque liberi naturaliter sunt domini, illis sine summâ injustitiâ privari non possunt. Idcirco parentes illos aut futuros successores declarare, aut propter gravem demum causam exheredasse tenentur. Et quoniam Jure novo magis attenditur causa naturalis, *Auth. in Success. C. de suis & legit. liber. nulla amplius, in hoc*

1026  
hoc negotio, fuitatis, aut emancipationis, habetur dif-  
ferentia; sed æque emancipati, atque sui heredes, inoffi-  
ciosi querelam intentare possunt. Nec etiam Jura hac-  
tenus distingunt gradus, sed sublatis præcedentibus, pri-  
mum gradum subintrant ulteriores. Nomine enim libe-  
rorum generali, cujus mentio fit in *Pr. J. b. t. § l. i. ff. eod.*  
ulteriores descendentes venire indubium est per *l. 220. ff.*  
*de Verb. sign.*

§. 9.

Neque porro hic interest, num ex justis nuptiis pro-  
creati sint liberi, an verò per subsequens matrimonium  
legitimati. Hæc enim legitimatio facit, censere matri-  
monium ab initio contractum, & ita legitimati habentur  
pro verè legitimis *Nov. 89. cap. 8. §. 2. J. de Nupt.* Cujus ra-  
tio in favore matrimonii consistit, quod omnia vitia præ-  
terita tollit, *Cap. 6. X. Qui filii sunt legitimi; & retrahitur*  
*ad tempus nativitatis liberorum. Conf. Carpzov. part. 2.*  
*Const. 6. def. 12.* Hactenus dicta procedunt pariter in legi-  
timatis per rescriptum Principis, modo facta sit legitimatio  
ad petitionem patris, taliter enim legitimati legitime natis  
æquiparantur. Cum hæc legitimatio demum procedat,  
si pater nullos legitime natos liberos habeat: nec locum  
inveniat, puta ob mortem concubinæ, vel aliam causam, le-  
gitimatio per subsequens matrimonium. *Add. Nov. 74. c.*  
*1. § 2. Nov. 89. cap. 9.* Unde si in potestate patris positum,  
filium naturalem per subsequens matrimonium legitima-  
re, extraordinarium quærere remedium, aut legitimatio-  
nis beneficio, fornicationis turpitudinem operire non de-  
bet, *Gail. lib. 2. Obs. 142. num. 3.* Hæc regulariter quidem  
procedunt, sed posse Principem hic dispensare, & extanti-

B 2.

bus

bus etiam liberis legitimis legitimationem concedere, certo sumus persuasi; dummodo pater mentionem fecerit liberorum legitime natorum. Neque his aufert jus quaesitum Princeps, sed restringit tantum; quod, quin ex plenitudine potestatis facere possit, dubitandum non est, *Gail. c. l. Add. Brunnemannus ad Auth. Præterea C. de Nat. lib.*

§. 10.

Nec solum natis, sed etiam nascituris & posthumis inofficiosi querela datur. De jure veteri id dubium non est per §. 2. *J. h. t. § l. 6. ff. eod.* Sed jure novo discrepantes Dd. opiniones sunt. Alii negativam amplectuntur, ea, præ reliquis, moti ratione, quod posthumi non sint subiectum habile, de quo possit ingratitude causa dici. Sed hoc non obstante affirmantium sententiæ calculum adjicimus. Ad rationem autem in contrarium oblatam respondemus: adhuc hodie perinde ut olim, exheredationem posthumorum facere, ut subsistat testamentum; siquidem manifestum esse credimus, jure novo exheredationem sine elogio, h. e. causa exheredationis non inserta, fieri posse, ut tamen nihilominus subsistat testamentum. Neque officit sententiæ nostræ *Nov. 115.* quia non novam testandi formam introducit, sed causæ allatæ, ut eo facilius probatio sit liberis, se injuste exheredatos.

§. 11.

Competit porro inofficiosi querela liberis legitimis tantum, sive adoptivis, si videlicet à persona non extranea sint adoptati, secus est, si ab extraneis facta sit adoptio. Quamvis enim ita adoptati in patris adoptantis potestatem revera transeant, ex æquitate tamen singulari fingitur eos in potestate patris naturalis permansisse. Siquidem jure antiquo

1026  
tūquo non rarò eveniebat, ut ab extraneis adoptivi dissolu-  
ta per emancipationem adoptione, ad neutrius patris suc-  
cessionem vocarentur §. 14. *J. de hered. quæ ab intest. def.*  
Ideo æqvissimum visum, post mortem patris naturalis filio  
ab extraneo adoptato, & iterum emancipato concedere po-  
testatem succedendi, & querela inofficiosi, si in testa-  
mento contra officium pietatis læsus, experiendi; Queri e-  
tiam possunt de inofficioso testamento arrogati, quia trans-  
eunt in potestatem arrogantis, & jura naturalium libero-  
rum consequuntur, *l. penult. §. ult. C. de Adopt.* In impu-  
beribus verò speciale est, quia ex constitutione D. Pii  
quartam, & quidem bonorum, capere possunt, *l. 8. §. 15. ff.*  
*b. t. §. 3. J. de Adopt.*

§. 12.

Liberis incestuosis, adulterinis & aliis ex damnato  
coitu natis Jus agendi de inofficioso testamento non com-  
petere, omni sane dubio caret, cum generaliter à succes-  
sione excludantur, imò nec liberorum naturalium nomine  
veniant, nec à parentibus alendi *Nov. 89. cap. 15. Auth. Ex*  
*complexu C. de incest. nupt. Add. Carpz part. 3. Const. 14. Def. 11.*  
*num. 7.* Naturalibus quoque tantum & spurii querela  
inofficiosi contra patris testamentum denegatur. Spurii  
enim patrem habere non censentur, *l. 5. ff. de in jus voc.*  
*l. 23. ff. de statu Hom.* Naturalibus ideo non datur, quia ipsis  
non debetur legitima. At verò illi solum rumpere testa-  
mentum per querelam possunt, quibus legitima debetur. *l.*  
*6. Pr. ff. §. 1. C. de inoffic. testam.* Cœterum contra testamen-  
tum matris liberis naturalibus dari querelam inoffi-  
ciosi, patet ex *l. 29. §. 1. ff. b. t.* quoad matrem enim  
& lineam maternam eadem est eorum cum naturali-

bus & legitimis causa. *Arg. §. 13. J. Ad Sctum Orfic. l. pen-  
ult. C. eod.*

§. 13.

Post liberos ad hanc querelam admittuntur parentes,  
nam si & ipsi exheredentur, testamentum liberorum que-  
rela inofficiosi evertere possunt. Etsi enim voti paterni  
sit liberis parare, eosque locupletare *l. 50. §. 2. ff. de bonis liber-  
torum.* Attamen non immerito ordine mortalitatis tur-  
bato, parentes ratio miserationis ad liberorum bona admit-  
tit, *l. 7. ff. Unde liberi l. 15. ff. h. t.* etenim dubium non  
est, mentem filii, si ipsi mors eveniat & bona relinquat, es-  
se, ut ad illos devolvantur, a quibus sanguinem trahit, & a  
quibus beneficiis maximis affectus. Appellatur hæc he-  
reditas in jure nostro luctuosa, item tristis successio *l. ult.  
C. de Instit. & substit. §. 2. Inst. Ad Sctum Tertull. & paren-  
tes a legibus ad successionem conclamantur, ut liberorum  
non gratam hereditatem relictam, sed triste lucrum sibi  
lugeant acquisitum, l. ult. C. Commun. de success.*

§. 14.

Nihil autem interesse videtur, num exheredati, an  
verò præteriti sint parentes; cum utrobiqve testamentum  
subsistat, adeoque querela inofficiosi evertendum. Si qui-  
dem suorum duntaxat heredum præteritio testamentum  
ipso jure infirmat. *Pr. J. de Exhered. liberorum.* At verò  
parentes liberis suis sunt extranei heredes, jureque suitatis  
destituuntur, *§. 3. J. de hered. qual. & diff.* Cæterum si a-  
vus & nepos concurrant, nepotis conditio melior est, & i-  
pso excluso, demum avus admittetur. Præterquam enim  
quod in successione liberorum causa prior sit, hoc assertum  
satis probatur ex *l. 14. ff. h. t.* illud adhuc adjiciendum, pa-  
rentum

1026  
rentum nomine hic utriusque sexus ascendentes indistin-  
cte venire, sed, ne acta agamus, quæ de liberis diximus, ap-  
plicari hic possunt, propter reciprocam pietatem, quam  
liberi parentibus debent, cum & aliàs jura successionis sint  
reciproca *l. ult. C. de legit. hered.*

§. 15.

Denique fratribus & sororibus germanis, si scripti he-  
redes sint turpes personæ, jus agendi de inofficioso testa-  
mento competit §. 1. *J. b. t. l. 27. C. eod.* quanquam enim fra-  
ter fratri, vel soror sorori non tantum debeat, quantum  
parentes liberis, vel liberi parentibus: eo tamen ipso offi-  
cium pietatis violatur, quod frater vel soror turpes perso-  
nas fratribus vel sororibus, & quidem immerentibus ante-  
ponit. Imò vix sanæ mentis videtur, qui hoc admittit.  
Turpis autem Persona describitur in *dict. l. 27.* quæ scilicet  
turpitudinis vel infamiæ vel levis notæ macula aspersa est.  
Huc pertinent histriones, meretrices, lenones, & alii ejus-  
dem generis homines.

§. 16.

Sed quæritur, num spurio herede instituto, fratribus aut  
sororibus inofficiosi querela detur? quod affirmamus, etsi  
enim juris infamia notati non sint, ab infamia tamen facti  
immunes esse non censentur, quia ex vulgivaga venere &  
conjunctione jure improbata nati sunt. Sententiam no-  
stram non parum juvat *l. 3. §. 2. ff. de Decur.* ubi, si in digni-  
tate vel Magistratu adipiscendo spurii competitorem ha-  
bent legitimè natum, hic illis præfertur. Dixerint for-  
san dissentientes, spurios ne quidem infamia facti notari,  
ex eo fundamento, quod infames non admittantur ad di-  
gnitates *l. 2. C. de dignit.* à quibus tamen spurii arcentur  
mini-

minimè *l. 3. §. 2. ff. de Decur.* Sed salva res est: loquitur enim allegata lex de munere decurionatus, à quo spurii nulla conceditur immunitas; hæc enim ob privilegium datur, infamia verò nota est, nec meretur præmium *l. 12. C. dict. tit.* scilicet Decurionatus onera non levia erant, quæ pleriq; refugiebant, idcirco, aliis deficientibus, ob salutem publicam, & ne decissent, qui onera ferrent curiarum, ad decurionatum spurii admittebantur, *d. l. 3. §. 2. ff. de Decur.* Non satis proinde firmum argumentum ducitur à munere Decurionatus ad alias dignitates, ob datam diversitatis rationem.

§. 17.

Neque porro nobis adversatur, quod in *l. 6. ff. de Decur.* dicatur, spurium nihil admisisse, item quod ex fornicatione nasci, non sit ejus culpa, qui nascitur, sed illius, qui generat *Can. 4. Dist. 56.* Ex his enim, si quid infertur, illud sane erit, quod spurii non sint aspersi infamiâ juris, quod etiam nos largimur: in hanc enim nemo, nisi facto proprio, incidit. Sed inde tamen nondum sequitur, spurios non notari infamia facti; quia hanc illis irrogat hominum gravium opinio & judicium, non, ac si quid deliquissent, sed propter defectum natalium, vel etiam in odium coitus illegitimi. Verum itaque manet, spurium heredem institutum locum facere querelæ inofficiosi, *Conf. Carpz. p. 3. Const. 10. Def. 10.* Ubi facultatis suæ responsum adfert his verbis: Hat euer Bruder einen letzten Willen auffgerichtet / und darinnen Martin Lüben zum Erben eurer Verlassenschaft eingesetzt / euch aber nichts vermacht / sondern ganz præteriret: Da nun eurem Fürgeben nach / gedachter Martin Lüben ausser der Ehe / und also aus

1026  
so aus verbotener fleischlicher Unzucht erzeugt wäre ic.  
so möchte berichtet eures Bruders Testament zu Recht  
nicht erhalten werden / sondern ihr wäret das selbe per  
querelam inofficiosi testamenti zu fechten wol befugt/  
B. R. B. Consentit facultas Juridica Helmstad. atte-  
stante *Habn. ad Wesenb. n. 6.*

§. 18.

Hactenus dicta procedunt quando non simili turpi-  
tudine cum herede instituto fratres laborant. Nam si u-  
trique eadem turpitudinis macula adspargantur, non ha-  
bent fratres vel sorores, quod heredi scripto objiciant, sed  
tunc potior merito censetur causa possidentis. Confir-  
matur hoc assertum *argum. l. 3. § 8. ff. de condict. ob turp.  
caus.* Eratribus deinde & sororibus denegatur querela, si  
ipsis ingratitude ex tribus causis *Nov. 22. cap. 47.* expressis, ab  
instituto herede opponi, probarique possit. Coeterum ad  
hanc querelam non solum germani, sed etiam consangvi-  
nei, non autem uterini admittuntur, quod disertis verbis  
continetur in *l. 27. C. b. t.* Diversitatis rationem assignat  
*Habn. cit. loc.* scilicet quia consanguineis, & ex eodem pa-  
tre natis, jura sunt communia nominis & familiae. Uteri-  
nis autem & ex una matre natis non item. De ulteriori-  
bus si quærat, illis querela non conceditur. Melius ita-  
que facerent cognati, qui sunt ultra fratrem, si se sumptibus  
inanibus non vexarent, cum obtinere spem non habeant,  
*l. 1. ff. b. t.* Et merito quidem ad ceteros cognatos non  
porrigitur querela, cum sit quodammodo odiosa, adeoque  
magis restringenda, *cap. 15. de Reg. J. in 6.* Accusat enim  
testatorem, tanquam furiosum & pietatis officium obli-  
tum, ac proinde non quibusvis concedenda.

C

§. 19. Ex

§. 19.

Ex dictis colligi de facili poterit, quibus inofficiosi querela competat, sed quoniam non rarò contingit, ut propter mortem obvenientem actionem de inofficioso testamento institutam prosequi non valeat actor, ideo disquirendum, num ad successores transmitti possit? & probè hic jus novum à jure antiquo distingvendum. Nam jure veteri indistincte querela, non nisi præparata ad heredes transmittitur *l. 6. §. 7. ff. h. t. l. 5. C. eod.* Jure novo interesse videtur num præteritus vel exheredatus sit suus, an vero extraneus heres. Quoad posteriorem jus antiquum in viridi est observantia, idem obtinet quoad priorem, nisi uno casu, quo etiam non præparata ad successorem transit *l. 34. C. h. t.* nimirum, si herede scripto deliberante de adenda hereditate decesserit filius exheredatus, relicto nepote: hic enim transit ad nepotem querela, licet à defuncto intentata non sit, cum nihil imputari filio exheredato possit, quod non præparaverit, quia ante aditam hereditatem non erat, adversus quem potuisset experiri. Secus est, si post aditionem hereditatis decessisset, tunc enim cessaret ratio, & consequenter juris dispositio. Unde in hoc unico casu solùm recessum est à jure veteri *leg. penult. C. eodem.*

§. 20.

Hucusque de subjecto agente, sequitur nunc patiens, sive contra quos detur inofficiosi querela. Potest autem contra quemlibet heredem institutum intentari. Nec refert qualis heres sit, & cujus dignitatis, etiamsi Imperator heres institutus, *l. 37. §. 1. l. 8. §. 2. ff. h. t. l. 10. C. eod.* Cum enim heredes instituuntur, Imperator jus commune cum cœteris ha-

ris habet, ut laudabiliter rescribunt Imperatores in *l. 7. C. qui test. fac. poss.* Convenit quoque, eum, qui Leges facit, pari majestate Legibus obtemperare *§. ult. J. Quib. mod. test. infir.* Sed quid si Ecclesiam heredem instituerit testator? & idem dicendum videtur ob generalitatem textus in *dict. l. 31. §. 1. ff. b. t.* Neque enim ita favendum Ecclesiae ut obliviscamur necessariorum, huc pertinet *Canon quicumq; vult. 17. quest. 4.* *Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, querat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: Imo DEO propitio neminem inveniet.* Neque porro interest an scriptus sit heres, an verò nuncupatus, num directus an fideicommissarius *l. 31. C. b. t.* Licet enim fideicommissarius subtili Jure heres non sit, effectu tamen heredis loco habetur. Sed dices: Hereditatis petitio non datur contra titulo possidentem *l. 9. ff. de hered. pet.* At verò fideicommissarius cum titulo possidet. Ergò Resp. Brunnemannus ad *l. 1. C. eod.* Per querelam enervati titulum adeoque adhuc rectè intentari.

§. 21.

Materia sive objectum querelæ inofficiosi est hereditas defuncti, quæ per illam intenditur, ut rescisso testamento actori adjudicetur. Forma, quæ proponitur in eo principaliter consistit, ut dicat is, qui testamentum inofficiosum arguit, testatorem quasi non sanæ mentis fuisse, cum testamentum ordinaret, *Pr. l. b. t.* oportet autem ipsum sanæ mentis fuisse, alias dispositio ipso jure non subsisteret *l. 9. C. qui test. fac. poss.* Sub colore autem furoris, quæ adhuc hodie proponi debeat querela, nullus dubito. Tum, quod illam dementiæ fictionem à Justiniano sublatam esse nusquam legatur: tum quòd causa exheredationis, licet ad-

C 2

scripta



scripta sit, falsa tamen præsumatur, nisi heres contrarium ostendat. *Conf. Bacchov. ad Treutl. vol. 1. Disp. 13. thes. 6. lit. E.*

*h. m. d. i. g. §. 22.*  
-51- Finem querelæ constituimus duplicem, proximum & remotum. Ille est testamenti rescissio, & ut res ad causam intestati redigatur *l. 6. §. 1. ff. h. t.* Hic verò est, ut ex heredato vel præterito hereditas tanquam ab intestato debita adjudicetur, *d. l. 6. §. 21. §. 2. ff. eod.* Olim quidem querelâ inofficiosi in tantum infirmabatur testamentum, ut plane nihil ex eo deberetur *l. 8. ff. d. t.* imò legata etsi soluta poterant repeti *l. 8. §. penult. l. 21. §. 1. ff. eod.* Secus est jure novo quo testamentum tantum subvertitur, quoad heredis substitutionem. Cœtera verò capita puta legata, fideicommissa, tutelæ & libertatis dationes subsistunt *Nov. 115. cap. 3. & 4. Auth. ex causa C. de liberis præter. Conf. Schnobel. Disp. ad ff. §. thes. 16.* & hoc ipso confirmantur, quæ supra diximus, scil. querelam inofficiosi non nudam esse implorationem officii judicis, sed illa simul vindicari hereditatem. *Add. Frantzkius ad ff. h. t. n. 4.* Dissidentes urgent: si querela est petitio hereditatis aut ea competit ex testamento, aut ab intestato, sed neutrum hic locum habere videtur. Ergò Resp. peti omninò hereditatem ab intestato, nec officit testamentum: si enim hoc inofficiosum judicatur, mortâ querelâ tunc retro nullum, neque heres, qui eo scriptus talis fuisse censeretur, & ita res redit ad causam intestati, atque omnia perinde habentur, ac si hereditas adita non fuisset *l. 21. §. 2. ff. h. t. l. 6. §. 1. ff. eod.*

*h. m. d. i. g. §. 23.*  
-52- Restat ut de contrariis sive quibus in casibus cesset inofficiosi querela, agamus: variis autem modis id accidit, potiores

1026  
tiores tantummodo adducemus. Et nullum quidem du-  
bium est, quin ad submovendam querelam, tanquam reme-  
dium extraordinarium sufficiat remedium ordinarium §. 2. *I. b. t.* ordinariū enim quamdiu superest, extraordinariū n  
& subsidiarium quale est querela *arg. l. ult. C. d. tit.* regu-  
lariter cessat *Arg. l. 6. ff. de minor. l. 8. §. 15. ff. b. t.* Est insuper  
querela quodammodo odioso, quia per eam testamentum  
evertitur, adeoq; quantum fieri potest restringenda. Sed  
hactenus dicta limitationem recipiunt, scil. tum demum  
cessat querela remedio superstitite alio, si hoc sit ejusdem po-  
testatis & æque plenum. Unde nobis non adversatur, quod  
patri detur bonorum possessio contra *tab. l. 16. §. 1. ff. b. t.* &  
tamen querela inofficiosi eidem competat. Hæc enim pin-  
gvior est, quia facit rescindi testamentum, *l. 15. §. ult. ff. Si  
quis à Par. manumiss.* cum per bonorum possessionem tan-  
tum partem consequatur, *d. t. si quis à par. man.* non igitur

§. 24.

Debet porro à filio emancipato agnosci bonorum pos-  
sessio *l. 6. §. ult. & l. 8. ff. b. t.* Sed illius tamen finis proxi-  
mus & immediatus non est acquisitio hereditatis, cum ad  
hoc potius agnoscat, ut agi possit inofficiosi, adeoque à  
querela se non habet, ut distinctum remedium. Cœte-  
rum ista bonorum possessio in suis heredibus necessaria  
non est: remanet enim in his licet exheredatis signum a-  
liquod suitalis indelebile, & ut alii loquuntur, sui heredes  
in actu primo non actu secundo. Hic enim exheredatio-  
ne impeditur, sed se iterum exerit, dum in ora querela  
testamentum tanquam inofficiosum rescinditur. Sui-  
tatem proinde non tollit exheredatio: non enim fa-  
cit ut quis desinat esse in potestate & proximus gradu,

C 3

quæ

quæ duo suitatem constituunt §. 2. *I. de heredit. qual.*  
& *diff.*

Cessat quoque querela, si exheredatio facta sit ex iusta causa, quia tum cessat introductæ querelæ ratio. Et olim certæ legationis causæ determinatæ non erant, sed ab arbitrio pendebant centumvirorum, merita exheredati ex-pendentium, *Arg. l. 7. ff. de bon. damn. verbis: meritis de causis.* Imò nec opus habebat jure veteri testator causam ut exprimeret suæ exheredationis, sed illam instituto heredi licebat allegare. Jure Novellarum certæ à Justiniano definitæ sunt causæ, ob quas exheredatio Jure fieri potest, & in liberis admisit Imperator quatuordecim, in parentibus septem, *Nov. 118. cap. 3. & 4.* fratribus verò tres *Nov. 22. cap. 14.* sed illas sigillatim hic recensere brevitatis ergo non licet.

§. 26.

De eo hic acerrime inter *Dd.* agitur num secundum Jus Novellarum ipso jure nullum sit testamentum, in quo quis exheredatus quidem, sed nulla tamen causa jure novo expressa & adjecta. Ita quidem videtur *Bacchov. ad Treutl. vol. 1. disp. 13. thes. 1. lit. F.* aliisque; sed placet exercitii gratia contrarium defendere, illud enim verissimum existimo in *Nov. 115.* non agi de iis, quæ ad internam testamenti solennitatem spectant, sed de causis, ob quas facta exheredatio juste vel injuste facta existimetur. At injustitia exheredationis, ut supra monui, non vitiat testamentum ipso jure. Deinde constituit Imperator in *dict. Nov.* ut exheredatio fiat cum elogio, id est, nominatione causæ, cujus elogii probationem heredi scripto injungit, secus ac  
jure

1020  
jure veteri, uti dictum ad §. *præced.* Jure antiquo etiam nihil intererat, quo titulo quartam exheredato reliquisset testator. Sed juxta *dict. Nov.* præcisè institutionis titulo est relinqvenda.

§. 27.

Jure itaque novo si testator nullam ex causis in sæpius allegata *Nov.* expressis exheredationi adjiciat, vel, si infertam heres scriptus veram esse demonstrare non valeat, vel etiam titulo institutionis legitimam non relinqvat, tunc exheredatio cum effectu non procedit, sed possunt heredes exclusi querela experiri ad rescindendum testamentum. Vult enim hoc in casu Justinianus rescindi quidem testamentum quoad institutionem, cætera verò capitula sustineri. Hanc rescissionem privationem esse, hanc verò habitum & actus firmitatem præsupponere, quavis facile concedit. Quod enim in se nullum est, nulla indiget rescissione. Ad hæc male diceretur cætera capitula sustineri, cum ex nullo testamento nihil debeatur.

§. 28.

Neque nobis adversatur, quod Justinianus causam ingratitudeis testamento inferi jubeat. Non enim sequitur, causa exheredationis testamento est inferenda, E. illa non inserta, testamentum est ipso jure nullum. Hanc illationem menti Imperatoris directò contrariari, vel ex hoc clarescit, quod velit hoc in casu testamentum rescindi. Jam verò ordinare, ut testamentum sit ipso jure nullum, & constituere ut rescindatur, est idem simul velle & non velle, quod inconueniens. Dissidentes instant: Quod contra legem fit, id ipso jure nullum est: At vero testamentum in quo sine elogio seu nominatione causa facta est.

est exheredatio, est contra legem. E. Major prob. ex l. 5.  
C. de Legib. Minor ex ipsa Nov. constat, ubi disertè jubet Im-  
perator, ut cum elogio fiat exheredatio. Resp. Ad Maj.  
& legem allegatam non procedere in casu quo lex actum,  
quem fieri prohibet, quodammodo validum esse permit-  
tit, suppeditato remedio quo rescindatur.

Sed redeundum ad contraria, unde digressi sumus,  
querelæ inofficiosi. Cessat autem illa porro in casu, quo à  
hereditate exclusus defuncti voluntatem approbaverit, pu-  
ta si mortuo testatore renunciaverit hereditati. Aliter  
se res habet, si quis vivente testatore de non movendo que-  
relam pactus sit, tunc enim nihil sibi præjudicat, l. 35. C. de  
inoff. test. Cum pacta privatorum juri communi deroga-  
re non valeant, l. 7. §. 16. ff. de pactis. Huc pertinet, si ex-  
heredatus legatum acceptando ultimam voluntatem a-  
gnoverit, nisi fortè hoc factum sit ex officio & nomine alie-  
no, tunc enim nomine proprio querelam intentare non  
prohibetur §. 4. I. b. t. Cessat deindè querela in casu spe-  
ciali l. 3. C. de inoff. test. item si heres institutus fuerit ex-  
heredati vel præteriti servus §. 3. I. Per quas pers. cuiq. acq.  
l. 12. Pr. ff. b. t.

§. 30.

Extingvitur quoque querela morte illius, qui per te-  
stamentum est læsus. Ad heredem enim non transit, nisi  
præparata fuerit à defuncto, quo de supra. Deinde, si quis  
querelam semel institutam iterum deseruerit, nisi ad illam  
relinquendam fraude & dolo heredis fuerit inductus.  
Nam fraude comperta de novo querelam instituere non  
impeditur, l. 21. ff. b. t. Facultatem agendi etiam in testa-  
mento

1020  
mento laesus amittit, tempore quinquennali elapso, nisi magna & iusta ex causa actor excusetur, *l. 8. §. ult. ff. de l. 34. 36. §. 2. C. b. t.* Istud autem tempus computatur ab adita hereditate, quia nondum facta hereditatis aditione querela non datur, cum non censeatur consummata injuria per exheredationem, quæ ante aditionem hereditatis non nocet, *l. 12. §. 5. ff. de bon. libertorum.* Posset enim evenire, ut scripto herede moriente vel etiam repudiante hereditatem exheredatus vel præteritus sine querela hereditatem relictam consequatur, *l. 50. Pr. vs. sed cum ff. de bon. poss. cont. tab.* Ne tamen heredes scripti aditionem dolose protrahant, ideo constituit Imperator *in l. 36. §. ult. C. b. t.* ut, si in eadem provincia degant, ultra sex menses, si verò in alia provincia, intra annale spatium, vel adiant hereditatem, vel eandem repudient, quod si non faciunt, à iudice compellantur ex officio.

§. 31.

Excluditur denique præteritus in testamento à querela, si ipsi legitima, sive tota, sive ejus pars relicta sit. Legitimæ verò nomine jure antiquo veniebat quarta pars hereditatis sive quadrans bonorum *§. 3. Inst. h. t. l. 8. §. 8. ff. eod.* Quod tamen à Justiniano in *Nov. 18. c. 1.* immutatum, & constitutum, ut si quatuor, aut pauciores sint liberi, habeant tertiam, sin autem plures, dimidiam pro virilibus deinceps portionibus inter se dividendam. Nihil autem interest, num integram legitimam, an verò ejus partem iudicio testatoris consecutus sit præteritus, utrinque à querela excluditur, *l. 30. C. b. t.* & posteriori casu datur actio ad supplementum, quæ à querela in eo potissimum distinguitur, quod eidem agnitione testamenti, non, sicut querelæ  
D renun-

renunciatur *l. 35 §. 2. C. eod.* Deinde quod spatium quinquen-  
nii elapso, non extinguatur, sed sit perpetua, est enim favo-  
rabilius querelam inofficiosi actio ad supplementum.

Præterea relinquenda est legitima titulo institutionis,  
& quidem absque ullo onere sive gravamine. Ratio prio-  
ris est, quod debeat jure hereditario, posterioris verò,  
quod favorabilior sit legitima. Sed probe tamen distin-  
guendum inter onera hereditatis, quæ intrinsecus heredi-  
tati adhærent, & inter ea, quæ à testatore extrinsecus adji-  
ciuntur. Non priora, sed posteriora, hoc loco intelligun-  
tur, & à legitima arcentur, *l. 8. §. 9. de inoff. test.* Unde te-  
stator absque onere fideicommissi, legati aut conditionis  
legitimam relinquere tenetur. Nam, si quod horum ad-  
positum fuerit, pro non adjecto habetur, *l. 32. C. eod.* Cœ-  
terum legitima non debetur, nisi deducto ære alieno. Ita  
Dicasterium Jenense Mens. Mart. Anno 1638. respondisse re-  
fert *B. Richter Decis. 41. num. 67.* Verba responsi ita habent:  
Daß zwar die Kinder von andern Creditoren ihrer  
Mutter sel. Einbringen/wosern sie in die Schulden be-  
ständig nicht gewilliget/zu fodern berechtiget/sie sind da-  
her den Gläubigern zum Nachtheil von väterlicher  
Verlassenschaft ihre Legitimam zu fodern nicht befugt.  
Plura equidem de legitima adhuc proponi possent; sed  
cum hæc materia peculiarem tractationem exposcat, hæc  
exercitii causa pertractasse sufficiat. Te interim, benigne  
Lector, rogo, ut quæ meditatus sum in præsens, boni con-  
sulas, atque erranti comiter viam monstres  
meliolem.

Nota ad B. L. In §. 24. lin. 8. omissum incuriam typographi ver-  
bum *manent*, & in §. 25. loco legationis legendum *exheredationis*.

1020  
Quid pietas jubeat pariter natumque patremque,  
Et fratres hoc jam, Fautor amande, doces.  
Agnoscit meritum Patria, & Tibi præmia spondet:  
Grator ego, & felix ut capias, voveo.

*Ita Politiff. atque Clariff. Dn. Kleini præsentis  
dissertationis Autori doctiff. Fautori &  
commensali suo dilectiff. de egregiis studii  
Juridici profectibus gratulari voluit*

PRÆSES.

---

Pulverulenta sequi quatientis mœnia Martis  
Signa, nec in hostem brachia ferre suum,  
Lotrices etiam possunt. Tu castra subintras,  
Atque manum confers. Plaudite. Plaudo. Vale.

Patriæ, Tibi, suoque  
M. F.

---

Lætitiis mundi variis pertundere pectus  
Eligere & tutò gaudia blanda sibi,  
Est aliquid: tamen hæc sequitur mox magna querela,  
Insuper haut durant; omnia vana manent.  
Tu melius sentis KLEINI dum rite querelæ  
Themata proponis: sedulus iste labor.  
Pergito mi KLEINI sic indulgere labori  
Fiet ut hinc de Te nulla querela fiet.  
Præmia sed Themidos larga & præclara videbis.  
Tunc eris & patriæ, gloria magna tuæ.

a. d.  
JOH. CHR. Ellingshausen/  
Wittebergensis.

---

Ergone Bæoticum tandem pertasa Cephisum  
Transylvana parat tecta subire Themis,

Dum

Dum Heroa suum Te Klein ad pulpita poscit,  
Qui consulta boni Justitiæq; ferat?  
Fallor an adventu Patriam gestire sororis  
Intueor, reduci que sociata preit?  
Scilicet ad prescripta cupit componier æqui,  
Finis honestatis quam-sua-cunque trahit.  
Et ratio donata homini est, cum robora brutis,  
Æquo libraret pondere cuiq; suum.  
Sed caput est causa, quoniam inclinata ruina  
Res-Patriæ celerem-publica anhelat opem  
Te spectant hac vota, ac per Te Curia sperat,  
Fato contingat candidiore frui.  
Ergo age fulta tuis vigeat Respublica curis,  
Non poteris Patriæ consuluisse magis.  
Vimq; jube virtute premi, legumq; potestas  
Quid valeat doctâ jus ratione proba  
Æmula plagorum sperare in nomina pulchrum est.  
Hoc age. Posteritas Te memorabit avum.  
Sic Superi jubeant, ausus mereantur alacres,  
Applaudant fatis nostraq; vota tuis.

Honoris & affectus ergo scribebat


LUCAS Seuler.

QVarenti doctâ Patriæ servire Querelâ  
Tendis, spemque ponis, solatiumque refers.  
Fac modo, quodque tibi nunc visa querela, medela  
Digna foret Patriæ, ut digna foretque Tuis  
In Tua pro tantâ, descendo vota, Querela  
Et voveo servet numen honore nomen.

J. O. H. Mandesch,  
Corona Transylv.

F I N I S.





X.26159.14

1007







34  
1686

7.  
 IONE JURIDICA  
**IFICIOSI**  
 ENTI QUE-  
 LAM,  
 RITATE  
 torum Ordinis  
 bergensis,  
 S I D E,  
 SPARO Brendel/  
 & J. U. D.  
*examini sistit*  
**ES ALEJN**  
 ransylv,  
 rio fctorum  
 m Febr.  
 C L X X V I.  
 NBERGÆ,  
 BORCKARDI, Acad. Typ.

34.

